

conuerti uoluerunt abni-  
ctate sua. Habent cer-  
tus ex se anti medieuo  
re praecēnāt. ut nihil  
fūs mēritis frībus  
iae deputantur: dedicim  
rūmeliū rūs uæde cōfamā  
mūllis qđ detilibus ait  
int sc̄i deuītute mut-  
dī dōrū mīs̄ on. Hul-  
mano deſtū ūscā ſcrip-  
tū neceſſarū ſiquis  
eq̄ quicq̄t qđ non nū-  
tur. Ili aut̄ neglere  
int alius mūlla ſuā.  
monē ſia; Om̄ſetn  
uicem̄ ſecum̄.

Vnde dicitur. At illi neglēter ſabie-  
alius mūlla ſuā alii ſaduētatio-  
nē ſuā; I mūlla ite ē ſuā. triteno  
timodērare uicambere. Imēcōra-  
tione uero ite ē ſuā. Non i uero ſeu  
latum lucis ſuhrāte; Quaenam  
alius intentus labortereno. alius  
uetō mundi huius actionib; deſtruiſ  
myſteriū incarnationis domīnī  
pensate & ſcdm̄ illū uicere diſſimū  
lat. Juſi adullā uel nequum p-  
genſ uenire ad regis mūptias recuſat  
plerūm̄ quodē gratiarū ſuſtuliſ  
uicem̄ ſecum̄.

Speciāl  
im open  
a que  
er

F E B R U A R Y 1 6 1 5

CONTINENTUR HIC VOLUMEN  
DUXCANI INDEX SCOTI  
Disputationes.

Thesis Logica.

Propositiones Astronomicae de Diem et Annis differentiis  
De facultate vegetante.

De Philosophia ejusq; Instrumentis.

In IV. Meteororum de Misericordia e Disp. I.

In IV. Meteororum de Concordia e Disp. II.

Disp. Pathologicum, I. de Mortis.

II de Cais Mortis in gre.

V.

VI.

IX.

Disp. posterior de Praeceptis

de Peste disp. prior.

De Natura et facultatibus medicamentorum.

De Compositione et Preparatione medicamentorum.

De Aithritide.

De ratione Ergandi.

De Phlebotomia, Hirudinib; Scarificatione

de Febris Natura e disp. I.

De Febris

De Febris

II.

III.



19.



Disputatio Medica  
PRIMA.

DE  
**FEBRIS NATVRA**  
DIFFERENTIIS, CAVSIS, SIGNIS,  
ET CVRATIONE IN  
genere.

*Quam*  
D. O. M. A.

Sub præsidio  
**DVN CANI LIDDELII SCOTI,**  
PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DO-  
ctoris & professoris pub. in inclyta Iulia pro viri-  
bus tueri conabitur

*HERMANNVS PISTORIVS Goslari-*  
*ensis Med. stud.*

*ad 12. diem Septemb.*

Hora & loco consuetis

**HELM AESTADII,**  
Excudebat Iacobus Lucius.

Anno ccc. cc. ci.



AMPLISSIMIS  
PRUDENTIIS. AC  
CONSULTIIS. VIRIS, DOMINIS  
COSS. CAETERISQ. CELEBERRIMAE  
reipub. Imperialis Goslariae, se-  
natoribus.

NEC NON  
VIRTUTE IVXTA AC NOBILITA-  
TE GENERIS, DOCTRINA, ET MVLTI-  
iuga eruditione conspicuis viris, Fratribus, Dn. CON-  
RADO. Dn. IASPARO IVSTO, Dn. IOAN-  
NI à Schwicholt. Dominis patronis & promoto-  
ribus meis æternum co-  
lendis

Hasce theses

submissè & officiosè

dedicat & off. R.





## DE FEBRIBVS.

Th. I.

VM febris non solum inter morbos frequentissimos,  
sed etiam maximè uniuersales numeretur, ac vari-  
os multiplicesq; affectus coniunctos habeat, qui sine  
febris cognitione nec intelliguntur, nec curantur:  
post generalem curandi rationem, & remediorum  
materias non alienum duximus, de febris natura-  
differentijs, causis, signis & curatione, primum in genere, deinde in  
specie tractationem instituere.

2. Affectum illum corporis, quem latini febrem nominant ab Etymolo-  
antiquo vocabulo februo, id est ferueo, Graci πυρεύ διτὸς πυρεῖα febris.  
interdum πυρεῖα, id est habitum seu dispositionem igneam appell-  
lare consueuerunt. Hippocrates verò 1. Epidem. Febrim ardente  
mū, simpliciter vocat. Ex ipsa nominis notione colligitur, febrim na-  
tura ignea esse, & consistere in calore feruido siue igneo; idem quoq;  
confirmare videtur communis omnium opinio. Omnes enim cum  
ingenti totius corporis calore detinentur, se febricitare dicunt. Ve-  
gitur febris essentia facilis cognoscatur, requiritur, ut caloris na-  
turam & differentias primum perpendamus.

3. Calor autem in humano corpore duplex reperitur. Vnus suavis  
& moderatus, functionibus idoneus, qui naturalis propriusq; dici-  
tur. Alius Immoderatus, mordax, acris, naturae functionibus minus  
accommodatus, qui non naturalis & igneus vocatur. Hi duo calo-  
res specie non differunt, ut quidam arbitratur, sed vel intentione  
secundum maius & minus, vel ratione subiecti, siue diuersorum v-  
tentium respectu. Nam ratione subiecti aut diuersorum vtentium,  
duplex calor naturalis in animalis consideratur. Vnus qui comes &

A 2

instru-

instrumentum animæ est, cuius participatione vita ab Arist. definitur, extinctione mors: & insitus sive innatus propriè dicitur, quia id quod nascitur & natum est conseruat, fouet & auget. Innascitur quidem ex perfectissimo seminis & sanguinis materni portione, omnibus partibus, sed efficacissimè in corde consistit. Vnde cor fons & origo natiui caloris dicitur.

4. Alter calor naturalis à corde per arterias potissimum diffunditur in totum corpus: ut facultas vitalis deferatur, & caloris natiui symmetria in omnibus partibus conseruetur, unde calor influens dicitur: nam partes omnes suo innato calore, insitiusq; facultatibus vivunt, quorum si permanens esset essentia, nullo ad vitam indigerent; sed quia nutrimento opus habent, & conseruatione caloris innati in sua temperie, proinde à iecore per venas alimentum suscipiunt, à corde per arterias spiritum cum sanguine, & vim conseruatoricem caloris insiti. Vix calor specie unus, suaq; natura moderatus est, suavis, functionibus accommodatus. Praeter naturam affectus mordax, igneus, naturæ actionibus minus idoneus qualis calor in omni febre consideratur.

5. Febris non uno modo ab omnibus describitur, nam à Gal. 8. & 9. Meih. dicitur intemperies calida, in totum corpus diffusa, & lib. de diff. morb. calor præter naturam totum corpus occupans. Sed com. 16. Aph. 1. & comm. lib. 1. Morb. acut. con. 18. conuersio caliditatis natiua in igneam.

Variae au-  
thorum de  
febribus o-  
piniones.

6. Recentiores vero non solum de essentia ipsius febris sed etiam de subiecto & actionibus lysis discrepant. Alij enim statuunt febrem esse ipsum calidum innatum secundum substantiam in igneum conuersum. Alij non secundum substantiam, sed secundum qualitatem. Aut febrem ex sententia Gal. esse calorem narium, deductum ad tantam intentionem ut in naturam extraneam abeat. Contra Fernei. insitum calorem, nec secundum substantiam, nec qualitatem in febre augeri, sed febrilem calorem à naturali ratione essentiæ differre, & non intentione, licet à corde ubi fons caloris innati, in totum corpus effun-



effundatur. Sunt qui febrem secundum essentiam, calore præter naturam definiendam non esse putant, sed intemperie calida. Calor enim præter naturam non tam morbum, quam morbi causam designat, & effectuè non essentialiter illis morbus videtur: Deinde quidam febris calidam tantum intemperiem esse volunt, Alij calidam & secam. Similiter de primo febris subiecto dissentunt. Alij enim ipsum calidum innatum subiectum feb. constituunt, alijs tantum. Quidam totum corpus, aut principaliora eius membra. Nec multo alter de actionibus laesis discrepant. Alij enim omnes actiones corporis affici statuunt. Nonnulli non omnes &c. Quæ omnia nobis discendienda veniunt, ut ad perfectam febris cognitionem perueniamus.

7. Ac primum; Quando febris à Gal. definitur conuersio nativæ caliditatis in igneum, in substantiarum numero eam non reponit, sed ut ibiāem, passimq; alibi, intemperiem calidam, aut calorem præter naturam statuit, quæ duo pro eodem à Gal. accipiuntur. Licet propriè febris intemperies calida sit, non absoluè calor præter naturam. Dicitur enim febris conuersio nativæ caliditatis, non calidi innati; quia in febre qualitas nativi calidi, non autem ipsum calidum natuum secundum substantiam augetur, sed potius minuitur. Nam ut febris existat, necesse est qualitatem calorū nativi ita accendi, ut in extraneam propè naturam abeat. Vnde febris calor extraneus & præter naturalis vocatur. Nam calor nativus temperatus est in sua natura; ad alienam naturam ducitur, si intemperatus, acris, sive igneus reddatur.

8. Quare quando febris dicitur conuersio nativæ caliditatis in igneum, separat primum Gal. febrem à caliditate quæ in humoribus calidis aut putrescentibus & similibus est. Hac enim febris causa esse posset, non tamen ipsa febris erit, sed effectuè quatenus cordis color in igneum conuerit. Nam nativa caliditas non perse, sed aliunde à causis calfacientibus acceditur. Nec caliditas humorum calidorum aut putrescentium in totum corpus diffundi poterit nisi calor nativus cordis afficiatur, & in igneum conuertatur. Deinde in febre

De febris  
natura deq;  
calore fe-  
brili

duos distinctos calores non constituit Gal. sed unum quidem specie,  
verum intentione & efficacia diversum. Omnis enim calor specie u-  
nus est; proinde in eadem materia duplex esse nequit ut statuit Fer-  
nelius.

9. Verum per conuersionem natuæ caliditatis in igneam non  
est intelligendum, caliditatem natuam continuo in igneam conuer-  
ti: nunquam quidem in feb. ad tantum excessum peruenit calor nati-  
us, ut igneus planè fiat, alioquin febricitantes non viuerent; At-  
tamen non consistit febris in continuo calciferi, ut quidam opinantur,  
nam febris hectica quia temperies est aequalis, necessario est in cale-  
facto esse. Deinde in synocho homotomo calore eodem modo perdurat;  
In intermitentibus dum declinat, calor igneus ad naturalem se con-  
uerterit.

10. Igitur rectius statuirur per conuersionem illam, Galenum in-  
tellexisse gradum præter naturalem, calori natiuo super additum esse;  
non calorem natuum sublatum esse: nec continuo conuerti in igneum:  
neque febrem ex duplice calore propriè constare, sed unum esse ge-  
nitum ex calore natiuo, deducto ad tantam intemperiem, ut vita  
muneribus officiat. Nam ut dignatur febris suffici tantum ut nati-  
ua caliditas intenior penes gradum euadat, naturaq; limites tran-  
scendat, non autem igneus omnino fiat, aut naturam suam prorsus  
amittat, nam quam diu viuit homo, tam diu natiuo calore regitur;  
si totus in igneum naturam conuerteretur, non viueret. Quare cali-  
ditas febrilis mediæ naturæ esse videtur inter propriè naturalem &  
planè igneam. Nam in febribus caloris gradus & secundum naturam  
& præter naturam reperitur, magis autem & minus pro magnitudine  
febris.

11. Quare consistit febris essentia in calore natiuo deducto ad  
tantam intemperiam, ut in extraneam naturam sive igneam  
abeat, functionesq; laetar, quo sensu intemperies calida propriè dici-  
tur, siccata non necessario, nisi in hectica, aut quatenus calorem acuit,  
sive per concomitantiam; nam immoderato calori succedit siccitas,  
qua



qua quamvis interdum, non tamen semper actiones ludit. Quare  
rectè definitur febris per intemperiem calidam, siue per calorem præ-  
ter naturam.

12. Secundo ad subiectum febris quod attinet, cum febris qualitas corporis physici sit, sine subiecto in quo subsistit definiri & intelligi perfectè nequit. Quanquam autem febris conuersio nativi caloris in igneum sit, tamen proprium febris subiectum non est ipsum calidum natuum, sed partes que innato calore reguntur, & in quibus calidum ipsum natuum subsistit, non ut pars à parte aliqua corporis distincta, peculiarem aliquam actionem habens, ut in disputatione de Calido innato dictum est.

13. Consistit autem calor natius in omnibus partibus. Proinde subiectum febris erit totum corpus omnesq; paries, quatenus innato calore reguntur, licet in febre non omnes pari modo afficiantur. Verum quia fons & principium caloris nativi est cor, à quo spiritus viralis & calor influens per arterias in totum corpus diffunditur; igitur febris non erit, nisi in corde velut fonte calor natius primum accendatur, accenso autem calore in corde, necessario toti corpori communicatur, & per arterias in totum diffunditur nisi impediatur. Nam teste Gal. lib. de Marasmo cap. 1. totius corporis affectus fieri nequit, nisi animalis principium cor, affectum fuerit.

14. Incipit febris primo in corde, & qua intemperie cor, eadem ex consequente cetera partes aut maximè principales afficiuntur, omnes enim eodem nativo calore reguntur, & proprie passiones caloris nativi omnes simili modo afficiuntur, licet primum cor, deinde cum corde cetera partes, quatenus calore cordis fouentur, aut calore influente fruuntur. Quare febris non erit solius cordis intemperies, cuius symptoma tantum est diffusus per uniuersum corpus calor febrilis ut nonnulli arbitrantur. Nec ipsa febris intemperies calidatorius, causa vero febris calor in corde accensus. Nam causa febris propriè est omne quod natuum calorem accedit siue in igneum conuerit.

15. Residet autem calor natius in substancia omnium partium,  
sed

De subiec-  
to febris.



sed efficacissimè in substantia cordis, ac cor ceteraq; partes mediante  
hoc calore innato agunt ut supra diximus. Utitur vero pars quævis  
spiritu influente & sanguine ad conseruationem caloris natiui, &  
prout substantia cordis, item substantia spirituum, & sanguinis in  
corde afficitur, ita quoq; calor innatus alteratur, siue in igneum con-  
uertitur, primum in corde, deinde in cæteris partiibus. Ergo ubi cor  
intemperie in habitu laborat, necesse est totum corpus simili intem-  
perie affici. Ubi in habitudine, ceteras quoq; partes pari ratione com-  
municato calore mediante spiritu & sanguine per arterias & ve-  
nas.

16. Ex quibus colligitur quod subiectum febris sit totum corpus,  
aut saltem principalia membra, sed subiectum ubi primum calor na-  
tiuus accendit, propriè cor, nisi enim accenderetur in corde, deinde  
communicaretur ceteris partiibus, non esset febris. Substantia ut-  
riū cordis ut aliarum parium authore Gal. II. meth. completur  
ex spiritu, ex carne a specie, & ex solidis. Conseruantur autem vires  
cordis spiritu & sanguine; nam in corde spiritus cum sanguine deter-  
minantur, ut partes sine quibus non vivat, nec vires vitales exerce-  
re queat. Proinde quando spiritus aut humores in corde accenduntur,  
cor intemperatum redditur, & calor natiuus in igneum conuertitur.

17. Verum ipsa accensio in spiritibus aut humoribus propriè febris  
non est, sed intemperies qua ex spirituum accensione promanat, cuius  
merito primum ipsum cor intemperie calida, non in habitu sed in ha-  
bitudine afficitur, ut infra dicemus. Itaq; primò febris tribuitur cor.  
di à calore accenso in spiritibus aut humoribus, aut solidâ cordis sub-  
stantiâ. Spiritibus vero & humoribus in corde propter ipsum cor, aut  
quatenus cordi inseruiunt, ut necessaria instrumenta, siue partes mi-  
nistrandæ, quibus vires cordis conseruantur, & per arterias venasq;  
à corde in totum corpus calor vitalis distribuitur. Verum ut fiat fe-  
bris non necesse est omnes, sed sufficit unam aliquam ita accendi, ut  
calor natiuus cordis in igneum conuertatur.

18. Ex quibus colligitur quo sensu à Gal. febris dicatur conuer-  
sio



sio caloris natiui in igneum; Deinde quod eodem sensu propriè defi- Definitio  
niri queat, intemperies calida, siue calor præter naturam in corde ac- febris.  
census, ac mediante spiritu & sanguine per arterias potissimum, de-  
inde per venas in totum corpus diffusus, nisi impediatur; actiones ma-  
nifestè laedens. Dico mediante spiritu & sanguine per arterias & ve-  
nas, quod febrilis calor accidens sit, quod sua natura de subiecto in  
subiectum migrare nequit. Proinde media requirat, quibus à corde,  
ubi primum acceditur, uniuerso corpori communicari debeat. De-  
inde vias per quas media deferantur.

19. Cum autem calor natiuus qui in febre acceditur, à corde  
medianie spiritu & sanguine in totum corpus deferatur, primum per  
arterias quæ spiritibus & sanguine tenuiori calidioriq; refertissima  
sunt & à corde immediate originem ducunt, deinde per venas ob con-  
sensum mutuamq; connexionem cum arterijs: necesse erit calorem  
febrilem à corde per easdem vias procedere. Vnde Gal. tib. I. Crisium  
cap. 7. febrem vocat passionem venosi generis.

20. Defertur quidem calor febrilis à corde medianie spiritu &  
sanguine nisi impediatur. Impeditur autem tribus modis 1. Initio  
accessionis febrilis, concursu sanguinis & spirituum (proinde caloris)  
ad interiores partes. Deinde in Epialis febribus ob multitudinem hu-  
morum crudorum distributorum in corpus, cuius portio tenuior primo  
calefit, deinde crassior. Tertio in Lypyrijs, ubi ingens viscerum calor  
est, qui cucurbitæ modo sanguinem cum spiritu ad se allicit. Verum si  
nihil prohibeat, calor febrilis in totum corpus necessario effunditur, &  
licet prohibetur ad partes exteriores deferri, ramen partibus præ-  
cipuis siue interioribus communicatur. Igitur sufficit febrilem calo-  
rem pluribus aut præcipuis partibus communicari, & functiones ea-  
rum manifestè laedere.

21. In omni febre requiritur non solum ut calor præter naturam  
à corde in totum corpus aut præcipuas partes procedat, sed simul ut  
ita præter naturam auctus sit, ut actiones humanas manifestè offen-  
dat: quemadmodū scribit Gal. 8. Meth. cap. I. quod (com. 16. aph. 1.) per

B

igne-



Quæ actio-igneum calorem denotare videtur. Lædere autem potest febris cun-  
nes lœdun-  
tut in fe-  
bribus. Etas corporis nostri actiones præcipue magna vehemensq; Verum o-  
mnis febris non necessario, nec eodem modo: Nam quædam febres in-  
terdum aliquid corrigunt, & ablatas nonnullas actiones restituunt  
(ut cum Hipp. statuit Gal. com. s. 2 Aph. s. & 26. Aph. 2.) sed ex ac-  
cidente magis quam ex sua natura; propriè autem functiones natu-  
rales & communes lœdit quorum instrumentum præcipuum est tem-  
peramentum, quod ad partes similares propriè pertinet, cum actio-  
nes animales apta organi compositione magis indigeant. Febris enim  
qua intemperies calida, propriè similaribus partibus non organicis pri-  
mò tribuitur. Ergo actiones similarium partium primò lœdit, sed pro  
natura partis cuiusq; Nam alias actiones ab eadem intemperie faci-  
lius aut difficilius offenduntur.

22. Sympto-  
mata fe-  
bris. Quia autem ab uno quatenus unum, unus effectus immedia-  
tè proficitur, à febre quatenus intemperies calida, primo calefa-  
ctio partium omnium oritur. Sed quia calor immodicus humidum de-  
pascit, ex consequenti exsiccatio, humorū colliquatio, coloris corporis  
& excrementorum mutatio, sitis, vigilia & similia. Verum quia pri-  
mum in corde febris acceditur auctoq; calore cor maiori perspiratu  
indiger: Igitur in febribus pulsus & respiratio necessario mutatur  
pro modo caloris. Symptomata maximè communia omnia febrium  
sunt pulsus & respirationis mutatio, sitis, vigilia, item inappetentia,  
dolor capitis: Magis speciales sunt, delirium somnus perfundus, verti-  
go inquietudo, linguae ariditas, scabrities, nigredo, rigor & frigus ex-  
tremitatum, sudor copiosus, fluxus alui, vomitus, nausea, astus im-  
modicus, gustus depravatus, syncope, præcordiorum tensio, anhelitus  
difficultas, quæ magna ex parte febribus putridis superueniunt &  
morem febris aut motum humorum declarant. Nam in quam partem  
humor causa febris incubit, & imperum facit, pro partiis conditio  
symptomata inducit.

De causis  
febrium. 23. Causa febrium ut ex supra dictis colligitur, est quicquid  
calorem natuum in igneum conuerit, sine intemperiem calidam in  
corde



corde excitat: Excitant autem calidam intemperiem quinq<sup>u</sup> potissimum, ut in Disp. Patholog. 3. de causis morborum demonstratum est, quarum quatuor externis & procararcticis magis annumerantur. Primum, motus immodicus corporis, ut vehemens exercitium, laſitudo, vel animi, ut ira, mœror, vigilia quatenus calorem in corde accendant; Deinde contactus & vicinia rei calidae, ut aëris ambientis, balnei feruentis, ignis, medicamentorum acrum &c. quatenus per continuam alterationem, vicinis partib. calorem ita communicant, ut tandem ad cor dispositio pertingat. Tertio suppressio expirationis calidae, præcipue fuliginis modo acri & copiosa intra corpus, ob constipatione pororum cutis, aut meatus obturationem à refrigerantibus, astringentiis &c. Calor enim præter naturam & in loco ubi calida expiratio colligitur, continua generatione augeatur, & si copiosus reddatur, per arterias necessariò cordi communícatur. Quarto pari modo permisso substantia alicuius calidae intra corpus assumpta calorem præter naturam accendit, ut alimenta & medicamenta actu auiopestate calida.

24. Internis vero causis magis annumeratur putrido humorum. Putrido enim humorum siue in vasis, siue extra vasa, præcipue in inflammationibus viscerum aut partium externalium propè grandes arterias calorem suum cordi facile communicat, & pro natura humoris pūrulentis, pro modo & situ putredines diuersas species febris dignit ut suo loco latius dicemus. Sub internis causis quoq<sup>u</sup> continentur humores acres & effervescentes, item plethora, & obstructiones viscerum, quatenus eventilationem caloris prohibent, aut putredinem gignunt.

25. Hæ causæ si validæ fuerint in quoq<sup>u</sup> subiecto febrem accende-re possunt: Sin minus in eo qui febri magis oportunus est. Magis autem oportunus est, qui naturaliter plurimo calore acri & fuliginoso abundat, proinde iuuenes febribus maximè oportuni sunt, minus senes, deinde pueri. Ex naturis vero calida sicca constitutio febribus maximè obnoxia est, deinde calida humida: potiss. ex humorum putredine: Minus vero oportuna est frigida humida, & frigida sicca constitutio.



Differētiæ  
febrīum.

26. Differentiæ febrīum variae i Medicis recensentur, quæ omnes vel ab essentiā febris desumuntur, & specificæ vocantur, quia species constituunt sive à mō faciunt; Vel ab ijs quæ essentiām consequuntur, & accidentariae vocantur, quia non à mō, sed a modo faciunt, & species constitutas tantum variant, non autem alias nouas propriè constituunt; Essentiā autem febris consistit in calore præter naturam, ergo differentiæ febris auctore Galeno lib. I. de Diff. feb. c. I. accipiuntur, & ex ipso calore præter naturam, & ex modo caloris eiusdem, & ex materia sive subiecto in quo præter naturam calor acceditur. Quæ omnes differentiæ ad easdem species constituendas concurrunt. Verum maximè propriae & manifestæ sunt illæ differentiæ, quæ à materia sumuntur, in qua calor præter naturam acceditur. Nam febris ut accidentē physicum ex appositione subiecti definitur, & propriissime diuiditur: licet unum primum subiectum non habeat, sed tria quo nomine definitio febris & diuisio physicæ homonyma putatur.

27. Communiter subiectū febris primum est cor, in specie tamen vi diximus vel substantia spirituum, vel humorum in ventriculis cordis, præcipue in sinistro, vel solida cordis substantia. Quare ex diuersitate subiecti in quo calor primò acceditur febris triplex erit. Una

Tres febris ubi spiritus in corde acceditur quæ diaria dicitur, altera quando humores ita calefiunt, ut putrescant, quæ putrida vocatur. Tertia ubi calor febrilis ipsam substantiam cordis occupat, & insitum cordis calorem in igneum conuertit, quæ hectica appellatur. Nam hectica calorem insitum cordis, Diaria vero & putrida magis influenter calorem in igneum conuertunt.

28. Incipit autem calor præter naturam alijs ex alijs partibus: atq; una cum patiente afficit duas reliquias, sed cum substantia spirituum sit tenuissima, facilius q; alteretur; substantia solida contra; humores medio modo se habeant: igitur facilimè spiritus accenduntur, difficilimè solidæ partes, & ab humoribus aut solidis partibus ad spiritus facilima est caliditatis transsumptio, non contra. Humores enim per febrim calefacti spiritus promptius calciant, quam spiritus humo-

humores. Item solida partes accensa & humores & spiritus promptius calfaciunt, quam ab his calefiant. Quare si febrilis calor ex uno horum inceperit, in eorum permanserit, unius speciei erit. Sin non permanserit, sed alia afficerit, eadem specie non manebit, verum insignioris appellationem inducit.

29. Nam quando spiritus primum accenduntur, diaria proprie dicitur: Verum si deinde humores ita accendantur, ut putrescere incipient, non tum diaria sed putrida erit. Similiter si solida cordis substantia, hectica. Verum contra, quando humores primum accendentur ut putrescant, et si spiritus una proprie calefiant, non tamen diaria sed putrida dicetur, sicut quando cordis substantia primum acceditur, licet spiritus & humores proprie caleficerit, non diaria aut putrida erit, sed tantum hectica, nisi humores putrescant, & putrido persevereret, nam hoc modo tantum, putrida cum hectica complicatur. Nunquam autem diaria cum putrida aut hectica, sed a diaria in putridam vel hecticam fit transitus.

30. Diuiditur proprie febris in simplicem, cuius tres prima species sunt, ut iam diximus, & compositam. Componuntur non solum hectica cum putrida, sed putrida inter se ut infra apparebit. Nam putridarum variae sunt species pro natura humoris putrescentis. Accenduntur quidem humores omnes in febribus, aut per effervescentiam, aut per putredinem, quando autem per effervescentiam sanguis tantum ebullit, febris accenditur quae à Gal. 9. Meth. cap. 2. ephemeras annumeravit, & diaria extensa dicitur, ac synochus simplex. Vbi per putrefactionem humoris alicuius, calor in corde accenditur, febris putrida proprie vocatur.

31. Febris autem putrida non solum pro natura humoris putrescentis, sed etiam pro modo situque putredinis, plurimis modis distinguatur: Licet omnes eiusmodi differentiae essentiales per omnia non cies. Putridarū  
feb. differē-  
tiæ & spe-  
cies.

intermissione de se calorem putridum cordi communicant, quæ febres putridæ continuæ appellantur. Vel puressunt in locis remotis à corde, & non continuo feroore sed per intervalla tantum calorem putridum in cor diffundunt, quæ febres intermitterentes vocantur, quia ad intermissionem aut infibricitationem deueniunt. Dico putridas continuas, quia præter putridas diaria & hectica quoq; febris continua est ut infra dicemus. At nulla febris intermitterens nisi putrida.

32. Putridæ autem continua duplices sunt, aliae enim purredinem continent sine ulla remissione cordi impertiunt, ut synochus putrida, aliae non continent eadem forma, sed cum aliqua remissione, quæ simpliciter continua vocantur, ut lariūs infra explicabimus. Præterea ipsa purredo quatenus febrem accedit, vel uniformis & simplex est, orta ab uno tantum fomite, ex humore determinato purridente, secundum naturæ suæ proprietatem. Vel varia multiplexq; est, à diversis causis distincta q; purrefactione, quarum qualibet suam naturam obtinet, unde febris putrida alia simplex, à simplici purredine, alia composita vocatur.

33. Simplex autem febris sine continua sive intermitterens, pro conditione humoris putrescentis distinguitur. Nam quilibet humor purrescens suæ naturæ proprietatem in febribus obtinet. Bilis enim flava purrescens tertio die: melancholia quarto die: pituita quotidie suas accessiones habet, & naturam suam febris exquisitè seruat, si purrescens humor purus fuerit, sin alijs commixtus à natura sua nonnihil degenerat. Vnde feb. alia exquisita & in suo genere sincera vocatur, à determinati humoris purredine: ut tertiana continua & intermitterens, à bile flava putrescente: quotidiana à pituita: quarta à melancholia. Alia nota & spuria appellatur, ex non solo gemino humore putrescente, sed alijs simul permixtis, ut tertiana à bile quidem, sed una cum pituita aut melancholia putrescente &c.

34. Ex his simplicibus febribus, compositæ oriuntur. Componuntur autem febres vel eiusdem generis inter se, ut duas tertianæ, aut duas quartanæ &c. vel diversi generis, ut continua cum intermissione,

velut



velut in hemitricho: aut intermittens cum intermissione, ut tertiana  
cum quotidiana &c. quemadmodum latius in Disputatione de febribus  
putridis dicemus. Atq; hoc modo febris in species diuidi poterit. Ve-  
rum differentiae illae quae sumuntur ab ipsis humoribus putrescentibus,  
item à modo & motu putredinis, minus essentiales videntur. Humo-  
res enim putrescentes calorem febrilem magis gignunt quam susci-  
piunt. Deinde calor febrilis propriè & perfectè putridus non est, sed  
calor nativus à calore putrido accensus, sive in igneum conuersus, ut  
supra demonstrauimus, quo respectu tantum putridus dici solet.

35. Propriissimè autem sunt illæ differentiae quæ à subjecto su- Differentiae  
muntur in quo calor præter naturam acceditur, & species febribus ex  
constituant. Quæ vero à calore, aut caloris febrilis motu sumuntur, his ter naturā,  
dignoscendis potissimum inseruiunt. Nam calor motus q; caloris sub-  
jectum designant, & per se nouam speciem non constituant. Febris  
autem ex proprietate caloris iuxta Gal. & Hypp. aliæ manu morda-  
ces sunt, aliæ mites, & tactu minus molestæ. Item aliæ statim acres,  
aliæ perpetuò debiles. Ex motu vero caloris alia mordaces primo sed  
increcentes; aliæ statim acres, sed quæ à manu postea superantur.  
Adde alias aridas, alias humidas esse, alias salsuginosas, alias bul-  
lantes, sive flatulentas, & aspectu terribiles esse.

36. Hæ differentiae quidem à calore febrili sumuntur, id est ab  
essentiali febris, verum nouas species à superioribus distinctas non con-  
stituit, sed ad eas dignoscendas utiles tantum sunt. Nam calor mi-  
ties perpetuq; suavis, aut qui primum aliquomodo acutus, post à manu  
superatur: magnum signum est februm ephemeralium: sicut calor  
mordax, tactuq; molestus, putridarum, at non mordax primo sed in-  
crecens Hectica. Calorem enim ephemera quia in spirituosa substantia  
facile dispergitur: in hectica contra, primum tangentis debilior est,  
post acredinem ostendit, & eò magis quo plus tangendo immoramus:  
Calor quidem mordax putridarum inditum est, sed magis aquabilis,  
& pro natura humoris putrescentis. Nam calor statim acris, planeq;  
vehemens, biliosam febrem magis arguit: continuam si arida cum  
lingua

lingua nigra potissimum. Febres vero minus mordaces, si humida, pituitosa potissimum sunt: si siccæ, melancholice. Febres bullantes, (quæ scintillarum exilientium imaginem manui representant) & aspectu terribiles, pestilentes sunt &c.

Differentiæ 37. Reliquæ febrium differentiæ, accidentales magis sunt, & non accidentia- uas species non constituunt, sed priores tantum variari, quarum præ- les triplices cipue sumuntur, vel à modo quo subiectum corpus à febre informatur, potissimum. vel à causis febrem accendentibus, vel ab his quæ febrem propriè con- sequuntur in subiecto.

I. differ. à 38. Ac primum pro modo quo febris in corpore suscipitur, alia modo quo in x̄od siue habitudine consistit. & in affectu facile solubili, perinde ut calefactum in sole lignum, cuius generis sunt ephemera, & putri- da, quæ intemperies inæquales sunt. Alia in habitu consistit, siue in affectu qui difficulter soluitur, & quasi lignum est, quod igne ita ex- calefactum est, ut iam accendatur & fumum edat, veluti febris hecti- ca, intemperies equalis. Item alia est affectus primarius, qui nul- lum aliud morbum propriè consequitur, ut tertiana aut quartana. Alia secundarius qui ab alio priori affectu oritur, potissimum vero in- flammationem alicuius partis consequitur, ut in phrenitide, pleuri- tide, angina &c. quæ febris symptomaticæ ob id ab Avicenna vocan- tur.

II. Differ. 39. Deinde cause febris aliae externæ, aliae internæ sunt. Ab ex- ternis, præcipue ratione loci & aëris ambientis, febres aliae Endemicæ, aliae Epidemicæ, aliae Sporadicæ dici poterunt. Verum à causis inter- nis, aliae ab effervescentia humorum, aliae à putredine oriuntur: quæ pro modo, situ & motu putredinis, & conditione humoris putrefacen- tis differunt, quæ differentiæ essentiales propriè non sunt, licet essen- tialibus annumerari queant, sed eo quo diximus modo.

Tempora febrium. 40. Præterea ex motu causarum morbificarum, tota duratio fe- bris, in quatuor tempora siue partes diuiditur, nimirum in principi- um, augmentum, statum & declinationem. Motiones autem causa- rum morbificarum duplices in febribus deprehenduntur, aliae uni- uersa-



uersales totius decursus morbi, aliae particulares, certae alicuius partis.  
Igitur tempora febrium alia uniuersalia erunt, que totam duratio-  
nem febris definiunt & indicant: Aliae particulares, quae certam mor-  
bi periodum sive partem.

41. Nam ex ipso modo causarum morbificarum, ut de febribus  
putridis dictum est, aliae febres continuo à principio usq; ad finem  
affligunt, sineulla intermissione sive infebricatione, quae continua  
vocantur. Aliæ non continuo sed per interualla certis quibusdam  
periodis tantum affligunt, & ad integratatem sive infebricationem  
deueniunt, ut febres intermittentes. Harum causa ut priorum in  
perpetuo motu non est, sed certis periodis quiescit, deinde mouetur.  
Continuae autem febres aliæ à principio ad finem continenter, sine  
ulla incompressa annotatione in tempore, sive sine omni remissione  
nouag; accessione infestant, proinde unica tantum accessione absolu-  
untur, ut synochus, febris hectica, & ephemera; que omnes non so-  
lum continua sed etiam coniinentes dici possunt, licet synochus speci-  
ali nomine ita dicatur. Aliæ non continenter sed cum remissione a-  
liqua certis quibusdam periodis affligunt, licet à principio usq; ad  
finem ad integratatem non deueniant, ut que simpliciter continua  
vocantur, veluti. Terriana, quariana continua, hemirrhœus &c. ut  
supradictum est.

42. Febres igitur quæ certis quibusdam periodis non mouentur,  
& nec remissiones, nec intermissiones habent, in quatuor uniuersalia  
tempora tantum diuiduntur. Cæteræ præter quatuor uniuersalia  
tempora, in particularia. Nam tota duratio morbi certis quibusdam  
periodis distinguitur, & quo periodi, tot particularia tempora. Ve-  
rum in intermittentibus, periodus diuiditur in accessionem & inter-  
missionem, & accessio qualibet quatuor particularia tempora conti-  
nent. Sed de his latius in Disp. de febribus putridis.

43. Tandem differentiæ quæ sumuntur ab ijs quæ febrem conse- III. Differ.  
quuntur varia sunt. Consequuntur autem febrem quamlibet, omnemq; à consequē  
morbum propriè, magnitudo, duratio, mos, & euentus eiusdem. A  
C magni-



magnitudine autem febris cuiusq; alia vehemens siue magna dicitur  
in sua specie. Alia parua. Ratione durationis siue decursus. Alia bre-  
uis, quæ quatuor uniuersalia tempora celeriter percurrit, alia longa,  
quæ tardè. Febris autem simul magna & brevis, quæ celeriter &  
cum vehementia ad statum mouetur, acuta propriè dicitur, ut causus  
pestis &c. Acutarum febrium complures sunt differentiæ pro modo  
celeritatis. Nam alia peracuta, alia simpliciter acuta, alia acuta  
in metardicēs dicitur, & peracuta alia exquisitè alia non exquisi-  
tè peracuta &c. ut in i. Disp. Pathol. determinauimus. Tertio à mo-  
re morbi, alia febris maligna malig; moris, ut pestilens, alia beni-  
gna dicitur. Cognoscitur vero mos morbi ex symptomatibus superue-  
nientibus. Ex symptomatibus autem superuentibus alia febres  
colliquantes, alia assodes siue fastidiosæ, alia typhodes, alia syncopa-  
les, alia cardiacæ, alia lypiriae, alia epialæ, alia elodes &c. dicun-  
tur. Postremo terminus febris est aut ad salutem, aut mortem, idq;  
simpliciter aut medianie alio. Proinde ratione euenius, alia salutaris  
est & curabilis ut ephemera; Alia lethalis & incurabilis, ut pestilens  
& hectica absoluta. Deinde terminatur febris, aut Kējod ut febres  
acutæ potissimum, aut Aīod ut diuturnæ maximè. Kējod autem, aut  
per manifestam excretionem nimirum per sudores, hæmorrhogiam,  
fluxum alui, vomitū, sudores, urinas. Vel per translationem materiae  
ad partem ignobilem scilicet aut ad cutem, unde icterus, exanthe-  
mata, &c. sub quib; continentur variolæ, morbilli, petechia &c.  
Aut ad emunctoria, unde bubones, ut in peste. Aut ad articulos, unde  
arthritis. Hæ differentiæ ad naturam febris intelligendam, febri-  
umq; curationem riùè perficiendam utiles potissimum sunt.

De signis  
febrium.

Signa dia-  
gnostica.

44. Omnia febrium communissimum signum est calor auctus  
supra caloris nativæ modum, & per totum corpus diffusus nisi prohibi-  
beatur. & licet prohibeatur ad exteriora ferri, in interioribus ta-  
men manifestatur: pro conditione autem caloris ipsius, febres distin-  
guuntur & dignoscuntur, ut ex supra dictis abundè constat. Quia  
verò aucto calore in corde, necessitas euentandi calorem natuum, &  
fuligi-



fuligines expellendi augetur, unde pulsus & respiratio mutatur. Quare in febribus pulsus consideratio requiritur. Ex pulsu febris dignoscitur, si propriam naturam seruarit, & cor ceteraque consentiantur, nullaque temperamentorum repugnantia fuerit. Propriè omnis febris quantum in ipsa est, pulsus magnitudinem, celeritatem, & frequentiam mutat, nimis si nullus affectus concurrat, virtus vel facultatis, vel instrumentorum, nullaque temperamentorum repugnantia. Verum in hecticis amplius mutatur celeritas quam in diariis, & in initijs accessionum febrium putridarum contractionis celeritas augetur, sive systole velocior est quam diastole. Verum in statu uterque motus celer est. Nam ingens incrementum suscipit distensionis celeritas, & contractionis celeritas similis permanet, adeò ut cum pulsu celerimus videatur, à summo vigore sensim celeritas contractionis minuitur, & in declinatione dissoluitur. Haec sunt differentiae pulsum, quae per se febribus conueniunt ratione caloris praeter naturalis.

45. Semper autem distinguere oportet signa, caloris nim. necessitatis urgentis, à signis affectum concurrentium, ratione facultatis & instrumenti, nam hæc tria in pulsu obseruanda veniunt. Vbi igitur cum febre concurreat affectus aliquis ratione facultatis & instrumentorum, mixta orietur mutatio in pulsu. Requirit quidem magnus pulsus magnam necessitatem, sive calorem insignem; verum praeter calorem, firmam facultatem, & molle instrumentum distensioni idoneum; Quæ duo in hecticis potissimum desiderantur. Quare in hecticis magnus pulsus propriè non est, sed celer potissimum, & ex consequente frequens. Nam in omni febre aucto calore si in magnitudine necessitati satisfactum non sit, celeritas augetur, & si celeritas non satis faciat, frequitia augetur. Deinde mutatur pulsus febricitantium, si in corde temperamentorum repugnantia fuerit, hoc est, alia intemperies substantiae cordis, alia contentorum in ventriculis, aut arteriarum. Nam si æquales propemodum fuerint intemperies repugnantes, pulsus naturali similis erit, quod in febribus pestilentialibus interdum evenit. Si corpus cordis fuerit multo calidius

quam contenta (veluti in hectica) eò pulsus celeriores, non necessariò maiores, nec frequeniores erunt, quemadmodum Gal. 3. de præsag. ex puls. cap. 3. Et alibi. Quare in dignotione febrium ex pulsibus hæc omnia accuratissimè definienda erunt.

46. Comitantur febres varia symptomata, ut sitis, vigiliae, &c. de quibus supra. Dignoscitur febris species non solum ex qualitate caloris, ex pulsu & cæteris, sed etiam ex motu caloris febribus, siue coniuenter ut synochus, siue certis periodis moueat, & accessiones, remissiones, aut intermissiones habeat quotidie, alternis diebus, aut quarto die. Deinde ex accessionum duratione & modo. Item ex accessionum initio, eiusq; symptomatibus, rigore, horrore &c. Tempora vero uniuersalia febrium dignoscuntur ex symptomatum magnitudine & incremento, cætera de signis diagnosticis in specie suo loco trademus.

47. Quemadmodum in cæteris morbis, ita in febribus præcognoscere conuenit non solum euenum morbi an ad salutem vel mortem, sed etiam modum euentus, an paulatim & subito, cum crisi aut sine crisi. Præterea tempus euentus. Signa horum omnium sumuntur ex causis proximis, scilicet ex ipso morbo & natura agri, quæ duo inter se pugnant. Proinde ex comparatione virium viriusq; præsagire oportet, cuius sit futura victoria, deinde quomodo, tertio quando. Febris autem violentia estimatur ex ipsius speciei magnitudine, more & motu. Robur naturæ ex omnibus functionibus, præcipue ex pulsu & respiratione. Deinde ex excrementis. Terrio ex ijs quæ ad torum corpus singulasq; partes pertinent. Si igitur ex mutua comparatione, vires agri tam valide depræhendantur, ut febrem superaturæ sint, evadet ager ut in Ephemera, deinde in intermittentibus quæ sua natura tam valida non sunt, nec adeo vehementes & acutæ, ac adeo malignæ ut vires prosternant. Si contra febris sua natura tam valida sit (ut hectica absoluta) aut acuta, (ut interdum causus) aut maligna (ut pestis) ut vires agri prorsus superaturæ videantur, morietur ager. Cuius vero aut tardius pro violentia morti & debilitate virium, ut in Disp. de præsagijs latius demonstratum est, & suo loco in specie dicemus.

48. Re-



48. Restat ut de curatione febrium in genere dicamus. Indicatio- De cura-  
tio siue faciendorum insinuatio in febribus sumitur quidem à rebus  
naturalibus, non naturalibus, & prater naturalibus. Verum prima Indicatio-  
indicatio curativa in febri qua febris à morbo scilicet, ab intemperie nes.  
calida, sumi debet, qua ablationem per contraria prescribit. Secunda  
vero indicatio à tali morbo qui non absoluè ut prior, sed certam  
quandam ablationem indicat. Febris autem quia intemperies ca-  
lida per contrariū excessum, nimirū per ea quae refrigerant ad natu-  
ralem temperiem propriè reducitur & curatur. Igitur indicat febris  
in genere refrigerantia, humectantia vero non omnis perse, sed per  
concomitantiam potissimū. Peculiariter tamen Hectica quia intem-  
peries calida & sicca, perse refrigerantia & humectantia indicat.

49. Verum causa ratio habenda est, quando adest, & actu mor-  
bum fouet, si vero desit ut in diarijs potissimum, tantum refrigeran-  
zibus & humectantibus insistendum erit. Semper autem ubi febris  
in generatione est, causa que eam accedit submoueri primum debet,  
qua sublata tollitur affectio. Ubi vero pars febris genita, pars in gi-  
gnendo ad huc est, virg. consulendum, submouendo que eam accen-  
dit causam, deinde extinguendo qua ab hac accensa est febrem. Cau-  
sa autem febris varia sunt ut dictum est, & non omnes uno modo  
tolluntur: Nam meatuum constipatio & suppressio calidi effluuij,  
relexantibus, deobstruentibus & similibus, puredo euacuantibus, con-  
temperantibus, obstructiones aperientibus, pro qualitate humoris pu-  
rificantis; plethora venæ sectione; cacochymia purgatione: ceteraque  
causa pro sua natura & modo. Sublata causa tollitur intemperies ge-  
nita per refrigerantia.

50. Vt autem ciò tuto q̄ curemus respicere oportet, primum, calo-  
ris febrilis quantitatem siue gradum & subiectum: Deinde tempe-  
ramentum corporis, ceteras q̄ res naturales. Tertio res non natura-  
les, præcipue aërem ambientem. Nam primum calor febrilis quo in-  
sentior, eo validiora refrigerantia exigit, quo mitior eo debiliora &  
in pari recessu. Deinde subiectum caloris quo tenuius eo facilius al-  
lera-

teratur & mitioribus corrigitur, quo crassius eò validiora requirit, si vires ferre queant, sin minus (ut in hectica) debilioribus viendum, quam subiecti aut intemporei ratio exigit, ut into potius quam citò curemus.

51. Norma autem refrigerationis sit naturale temperamentum, siue naturalis status caloris nativi, cum febris sit recessus caloris nativi à naturali statu: Et refrigerandus est æger donec ad naturalem statum redeat. Naturalis autem temperies in alijs calidior, in alijs frigidior: Quare corpora secundum naturam calidiora, ut iuuenum, in quibus est minor recessus à naturali statu, mitiora: corpora vero secundum naturam frigidiora, ut senum, in quibus maior recessus, validiora refrigerantia exigunt, non tamen confertim & subiò, nam tuius calefacimus quam refrigeramus. Eadem ratio in ceteris rebus naturalibus. Observanda quoq; sunt res non naturales, præcipue aër. Si aëris ambientis constitutio calida sit, quia coindicat morbo, & rationem habet laudentis, validiora refrigerantia indicat. Sin frigida quia contra indicat, & rationem habet curantis, mitiora postulat. Similis ratio est in ceteris rebus non naturalibus: Qualis consideratio est in refrigeratione, talis est in humectatione.

52. In omni curatione vires ægri intueri conuenit, nam iria sunt prima indicantia, ipsa febris, causa febrem accendens quando adest, & vires ægri sine quibus non sit curatio. Conseruantur vires instaurantibus, quæ morbo & cause morbificæ contraria, sed temperamento, etati, & consuetudini, similia esse debent, ut in Disp. de Meih. mendendi demonstratum est. Febris quidem & causa febrem accendens à suis contrarijs tolluntur: Verum ipsa contraria non semper eadem sunt, sed accedit interdū ut quod causa contrarium est febrem foueat & contra. Vbi autem viri q; contrarium, aut indicationes consentiunt, sum sine discrimine refrigerare, & humectare conuenit, ut in febribus biliosis. Sin indicationes dissentiant, ut si febris sit ab humorē pinguo vel melancholico, dirigenda erit operatio ad id quod maximè urget, & potentioris indicationis maior ratio habenda, non neglecta.

glecta tamen altera. In diariis indicatio à morbo plerumq; sufficit,  
non à causa, quia plerumq; deside, nec à viribus. In hectica vero su-  
mitur indicatio non minor à viribus quam à morbo, sed non à causa.  
In putridis ab his omnibus interdum, pro modo febris.

53. Materia auxiliarum sive instrumenta harum operationum  
sunt, diaeta, chirurgia & pharmacia. Diaeta febricitantium frigida Dixit.  
humidaq; esse debet præcipue laborantium hectica, deinde febri ar-  
dente, sed habita ratione naturæ, ætatis, regionis & consuetudinis.  
Nam pueris potissimum humida victus ratio conuenit, & ijs qui tali  
victu vii consueuerunt. Consistit autem victus ratio in sex rebus  
non naturalibus ita commoderatis, ut refrigerare aut humectare  
queant, vel per se vel mediante alio. Aër ambiens primò si non na-  
tura frigidus humidusq; sit, arte preparandus erit, potissimum aestate  
media in febribus ardentibus, cubiculo perfuso aqua frigida, aut strato  
folijs violarum, salicis, vitis, lactucæ, nymphæ papauere, semperui-  
uo, rosis &c. Aër enim frigidus humidusq; totum quidem corpus alte-  
rat, sed thoracem & corporissimum, quando respiratione attrahitur.  
Cibus vero & potus maximè ventre, vicinasq; partes ad quas potissi-  
mum penetrat, primum afficit, deinde subsequentes. Qualitas au-  
tem cibi & potus frigida humidaq; esse debet, ut diximus: Deinde  
facilis concoctionis: Et, si utilis alimenii magna indigentia non sit  
vi in hecticis, cibus exiguum vim nutriti habeat, ne multum san-  
guinis gignat, & calorem ex consequentie augeat. Conuenit igitur  
cremor ptisanae aut avenæ, panis lorus cum iuscule pulli, gallina &c.  
alterato interdum lactucâ, endiuia, & similibus. Item lac amygdala-  
larum cum sem. 4. frigid. pisces sexatiles, carnes pulli decocta, & cum  
suo iure dilutæ &c. Potus sit aqua hordei, aliquando cum paucō ace-  
to. Conceditur assuetis interdum vinum si febris vehemens non sit,  
sed aquosum aut valde dilutum, cereuisia bene cocta defecata, sed  
tenuior, ut Zeruestana Embecensis &c.

54. Quantitas autem alimenti sit pro virium indigentia si  
morbus permittere videatur. Norma autem victus sit status ipsius  
febris,



febris, quo tempore tenuissimo victu viendum erit in comparatione ad alia tempora. Ceteris vero temporibus tantum exhibendum, quantum sufficiat ut aeger vigorem morbi superare queat. Igitur in exquisitè peracutis febribus tenuissimo victu aut inedia. In minus acutis pleniori victu viendum erit, semperq; magis in excessu quam defectu peccandum. Verùm si magna sit alimenti indigentia, & vires debiles ut in hectica, parum s̄æpe q; nutritum. Tempus cibationis in febribus continuis sit tempus minoris afflictionis, in intermittentibus ipsa declinatio, aut post declinationem, aut longè ante initium futuri paroxysmi, nisi necessitas magna exigat.

55. Tertio somni & vigiliarum magna vis est. Somnus enim magis humectat, vigiliae exsiccant. Deinde somnus exteriores partes magis refrigerat, retracto spiritu cum sanguine (ac proinde calore) ad interiora. Contra vigiliae interiores partes. Proinde initio accessionum quando calor ad interiora refugit, vigilias imperamus, In declinatione aut fine augmenti, somnum potissimum. In omnibus continuis nisi ad sit visceris inflammatio, somnus paulò longior confert, maximè in ardentibus. Visceris vero inflammatio per somnum magis augetur.

56. Quarto, Motus ut supra dictum est quia calefacit, quies febricitantibus magis competit. Præterea tranquillitas animi impetranda erit omnesq; perturbationes, præcipue vero ira fugienda. Tandem excretorum & retentorum præter naturam ratio habenda erit, nam si ea quæ naturaliter expelli debent, ut excrements alii, urinæ sudores &c. non expelluntur, expirationes calidæ augentur; similiter si expellantur humores frigidi, retineantur calidi, calor intenditur. Quare excrements alii promoueantur clystere, aut lenitiuis, urinæ diureticis &c.

57. His alijsq; obseruatis, si raria vis febris sit, ut sola victus ratione curari nequeat, ad alia remedia procedendum erit. Et primo si causa febrem accendens adhuc præsens sit, submouenda. Veluti si malum à plenitudine, vena secunda. Tollitur quidam plenitudo sensim

Phlebotomia.



Si m lente q̄ tenuissima vicitur ratione aut inedia, verum si morbus  
magnus a plenitudine urgetur, ut febris continua, aut inflammatio  
visceris, plenitudo vena sectione repente soluenda erit, ut corpus pe-  
riculo subtrahamus, cum in mora periculum sit. Deinde plethora que  
alieno morbo comes tantum assit, ut quae comitatur febrem inter-  
mittentem, vena aperiione utiliter detrahitur. Præterea uitimur ve-  
na sectione reuulsionis gratia, quando sanguis in partem irruens  
inflammationem minatur; Item in hemorrhogia & similibus. Seca-  
tur quoq; vena, in initio febrium putridarum, si vires, atas, cæteraque  
consentiant, non solum ad demoliendam plethoram, sed etiam gratia  
euentationis, ut concoctio melius procedat, putredo restringatur &c.  
ut latius dicemus in curatione febrium putridarum.

58. Si adsit cacochymia febrem fouens & augens, pro modo si uq; Purgantia.  
humoris peccantis purgatio instituenda erit, nam si in prima regione  
sit humorum impuritas leuioribus utendum, si in secunda aut tertia,  
validioribus, aut per interualla & vices, veluti si in intestinis, clyste-  
re detergente: Si cum nausea sursum obrepatur, vomitu euacuari debet:  
circa nauseam, infuso rhabarbari, fol. sena, Agarico & similibus.  
Si cacochymia intra vas a fuerit, & humorum cruditas, primum di-  
gerentibus, concoquentibus, putredinem restringentibus utendum,  
nisi materia turget, ut in Disputatione de purgandi ratione dictum  
est. Nam ad eos humores qui in vas is peccant, preparatio necessaria  
est: & non solum concoquentibus, sed etiam validis preparantiibus  
quaë vias ad aluum reserant, obstrunctiones aperiunt, crassos humores  
extenuant &c. de quibus in specie suo loco dicemus. Præterea maligni-  
tas humorum corrigatur alexipharmacis ex acetosa, citro, scordio,  
theriaca &c. Acrimonia humorum, contemperantibus, syrupo vio-  
larum. nymphæ &c. danda q; opera ut corpus relaxetur, & perspira-  
tus comparetur balneis dulcibus, si nihil impediat, medicamentis rare  
facientibus & relaxantibus ut camomillo, anetho &c.

59. Sublati causis febris, refrigerantibus & humectantibus tuò

D

cura.



Medicamē-  
ta febrem  
extinguē-  
tia.

curatur, nimirum potionibus ex syrups, iulepis violarum, rosa-  
rum, Cichorij Endiuiae, acerosa, & si adsit malignitas, granatorum  
acetositatis citri, limonum &c. cum aquis aut decoctis eorundem;  
Item lactuca, acetosa, portulaca, sem. frigidorum &c. Similiter  
vtendum erit confectionibus ex conseruis violarum, rosarum, Endiuiae,  
acetosa, papaveris &c. cum speciebus diatris fantaloni, diarrho-  
don, diamargaritonis frigid. &c. Commendatur à Gal. 9. Meth.  
præmissis vniuersalibus, potio aquæ frigida, si æger assuetus sit, modo  
cum febre coniuncta non adsit obstructio, humorum cruditas, debili-  
tas venriculi, inflammatio viscerum &c. ut ibidem admonet Ga-  
lenus.


Topica.

60. Extrinsicus adhibemus olea, unguenta & epithemata refri-  
gerantia, vt, si magna vis caloris sit in iecore linimenta ex cerato  
santalino, Vng. refrigerantis Gal. Oleo rosato &c. Epithemata  
ex aqua rosarum, Endiuiae, Solani, Epatica &c. cum aceto rosaceo,  
Spec. pro epithemate iecoris, ceratis santalini &c. Adhibeantur hac  
omnia iecori, post communes euacuationes tantum, alioquin mate-  
riam impingunt. Si cordis calor urgeat, aut virium debilitas, cordi  
admoveantur epithemata sed minus frigida quam iecori, ex aqua  
rosarum acetosa, buglossi &c. cum speciebus pro epithemate cordis,  
croco, vino maluatico, aut si vehemens calor aceto rosaceo &c. Ce-  
terae de curatione febrium, deg. curatione symptomatum febris con-  
sequantium, in specie suo loco, Deo auxiliante, proponemus.

F I N I S.







99 A 6903

(Nr. 24  
mit  
aufgesteckt)

(25 Handschrift)  
(8)

ULB Halle  
002 636 220



3

V017


HTA-OL



notificat uicibus. si quis  
in p[ro]fessu[m] s[ecundu]m ad  
uicibus a[cc]edat a[cc]eptu[m] ap[er]t[us]  
conuictu[m] s[ecundu]m c[on]tra  
uicibus s[ecundu]m p[ro]fessu[m] L  
m[od]estus p[ro]fessus a[cc]eptu[m] .9. m[od]estus  
nd p[ro]fessus uicibus n[on] uicibus  
n[on] s[ecundu]m c[on]tra uicibus. t[em]p[or]is  
g[ra]duis s[ecundu]m p[ro]fessu[m] L  
n[on] p[ro]fessu[m] p[ro]fessu[m] .9. m[od]estus  
m[od]estus p[ro]fessu[m] a[cc]eptu[m] .9. m[od]estus

O p[ro]fessu[m] a[cc]eptu[m] .9. m[od]estus  
erit admissio. ratione.  
O p[ro]fessu[m] a[cc]eptu[m] .9. m[od]estus  
erit admissio. ratione.  
O p[ro]fessu[m] a[cc]eptu[m] .9. m[od]estus  
erit admissio. ratione.

**Farbkarte #13**



19.



Disputatio Medica  
PRIMA.

DE

**FEBRIS NATVRA**

DIFFERENTIIS, CAVSIS, SIGNIS,  
ET CVRATIONE IN

genere.

*Quam*  
*D. O. M. A.*

Sub præsidio

**DVN CANI LIDDELII SCOTI,**  
PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DO-  
ctoris & professoris pub. in inclyta Iulia pro viri-  
bus tueri conabitur

*HERMANNVS PISTORIVS Goslar-  
ensis Med. stud.*

*ad 12. diem Septemb.*

Hora & loco consuetis

**HELMAESTADII,**  
Excudebat Jacobus Lucius.

---

Anno ccc. cc. ci.

